

THEATRUM VERITATIS, ET IVSTITIAE

SIVE

DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi in forensibus controuersijs, Canonicis, & Ciuilibus,
in quibus in Vrbe Aduocatus, pro vna partium scripsit,
vel consultus respondit.

IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS

*Per materias seu titulos distincti iuxta proximam indicem
post praefationem.*

LIBER IV.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIALIBVS,
VSVFRVCTV, ET VTROQUE RETRACTV.

P A R. I I.

DE EMPHYTEVSI.

P A R. I I I.

DE LOCATIONE ET CONDVCTIONE.



R O M A E,

Typis Haredum Corbelletti. M. DCLXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

S A C R O
R O T A E R O M A N A E
A V D I T O R I O

IOANNES BAPTISTA DE LVCA
FELICITATEM.



SACRAE Scripturae interpretum ingenia torfit semper propheticum illud Ezechielis dictum, ET ROTA IN MEDIO ROTAE; Et quamvis plures afferantur interpretationes, illa mihi supra alias arridet, quod Rota in medio Rotae sit Centrum illud, seu Sphaera, vnde Radij prodeunt Rotam, aliam constituentes. Id optimè congruit huic SACRO VESTRO TRIBVNALI, quod ab antiquissimo tempore omnium primo nuncupatum est meritò ROTA; Quippe ex eo tanquam ex centro, seu sphaera Iustitiae pendent reliquae Rotae, dum per accepta Oracula, quas Decisiones dicimus, iudicandi normam accipiunt. Huius autem ROTAE radij congruenter censendi sunt Romanae Curiae Aduocati, Iurisque Professores, qui sub nomine Responsorum, vel simili vocabulo labores suos in publicam lucem proferunt, vtpotè doctrinam omnem atque eruditionem ex eiusdem Tribunalis Decisionibus mutuantes. Inter hos radios igitur, cum Ego locum aliquem, licet obscurum, & infimum habeam, mei officij ac muneris esse duxi, hoc de SERVITVTIBVS volumen publicae luci committere sub propriae Sphaerae patrocinio, illudque VOBIS dedicare, non modò tanquam monumentum meae erga Vos SERVITVTIS, ac deuotionis, sed etiam tanquam testimonium reliquorum meorum laborum, ac voluminum, quorum doctrina penè omnis ex vestra ROTA, tanquam ex CENTRO, seu SPHÆRA emanauit.

DE
SERVITVTIBVS
PRAEDIALIBVS
DISCVRSVS PRIMVS

NEAPOLITANA AEDIFICII,

Scù altius non tollendi,

PRO

CONVENTV S. SPIRITVS ORDINIS S. DOMINICI

CVM

PP. CAMALDVLENSIBVS.

Casus decisis per Rotam pro Conuentu S. Spiritus.

De seruitute altius non tollendi aedificia, ex quibus tollatur aspectus maris ad Constitutionem Zenonis Imperatoris.

De Constitutionibus graecis non contentis in antiquis Codicibus, sed de nouo traductis & insertis in Codicibus modernis, An habeant vim legum, praesertim de dicta Constitutione Zenonis.

De inuentione & vsu legum civilium Romanorum iuxta compilationem Iustiniani, Et aliqua de non vsu, quando tollat vim legum.

Et de priuilegio Religiosorum circa prohibendum aspectum vel introspectum in eorum Monasteria vel Conuentus.

SVMMARIVM.

- 1 **F**Acti series.
- 2 **C**uilibet licet aedificare in suo, & extollere, quamuis vicino praetudicium inferatur.
- 3 **F**allit ubi vicino tollatur aspectus maris ex Constitutione Zenonis Imperatoris.
- 4 **Q**uod Constitutio Zenonis Imperatoris non sit authentica.
- 5 **A**n dicta Constitutionis identitas probeatur ex geminata approbatiua enunciatione, quae habetur in corpore iuris.
- 6 **Q**uod generaliter graecae Constitutiones non existentes in antiquis Codicibus,

sed insertae in modernis non habeant vim legis.

- 7 **D**e ratione, ob quam dictae Constitutiones habende non sunt pro lege.
- 8 **A**n dicta Constitutio Zenonis sit localis pro sola Vrbe Constantinopolitana.
- 9 **D**e materia non vsus legum, et de differentia inter non vsum seu non acceptationem, & vsum abrogatiuum.
- 10 **I**nter alia legis requisita est illud, ut à populis sit vsu recepta.
- 11 **D**e legum civilium compilatione, inuentione, & vsu.
- 12 **R**ex Neapolis non recognoscit Imperatorem.
- 13 **I**n dicta Regno prius vivebatur iure Longobardorum, hodie autem vi-